Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799

Quelle:
Copyright:

Operis pertinet; *Pars* enim VI. et ultima a *Libro* XXVIII. auſpicatur. Textus editioni *Maur.* T. I. a *col.* 853. probe conſonat. Ad calcem totius Operis litera quadra, qua etiam Librorum initia: *Explicit Expoſitio Beati Gregorii Papę Vrbis Romę In Job. Libri XXX^ta V. Per Moralitatem Explanati.*

Codici utrinque tegendo, quod dolendum, ſtriatim ſciſſae deſerviunt Membranae Seculi IX. quibus commiſſi erant *Auguſtini Tractatus in Johannis Evangelium*, et quidem extrema *Tractatus* I. et Initium II. deprehendere licet; ſed nempe culter ad perpendiculum columnas ſecuit.

CCCLXXVII.

R. 3168 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 178. f. maj. per duas columnas eleganter exaratus et coloribus illuſtratus idem Opus a *Libro* VI. ad XVIII. exhibet, adjuncto Syllabo omnium Textuum Biblicorum a *Geneſi* usque ad *Apocalypſin*, quibus *Gregorius* in hac *Moralium* parte uſus eſt. Codicem hunc hominis a Sacris catholicis alieni κτημα quondam fuiſſe docent, quae verbis Autoris L. 18. c. 48. n. 79. nobis *fol.* 167. p. 2. *Quam profecto ſapientiam ille ueraciter agnouit, qui mediatori dei et hominum aliquem comparare ſanctorum minime praeſumſit*; adjecit in margine. Audi naeniam: *Ecce! Quare igitur ſancti ut interceſſores invocantur, aut omnino invocantur ullo modo? Nonne hoc eſt illos et illas æquiparare Chriſto Mediatori inter Deum et homines? Nimis pertinaciter et libenter erramus, et Deo honorem ſuum Chriſtoque blaſpheme detrahimus.* Quid igitur notaſſet bonus Vir ad C. XLII. *Jobi* v. 8. *Job autem ſervus meus orabit pro vobis. Faciem ejus ſuſcipiam* &c. ſi Codex eousque pertinuiſſet?

CCCLXXVIII.

Codex membraneus lat. Sec. U. 565 ſaltem XI. Folior. 157. 4. min. eleganter perſcriptus, rubro flavoque diſtinctus, optime ſervatus, et quondam *Joh. Fabri* Praeſulis noſtri complectitur Επιτομην *Librorum XXXV. Moralium in Job. B. Gregorii M.* Dum Monachi *Mauriani* Patris hujus editionem pararent, nulli pepercerunt operae in conquirendis monumentis, quae aliqua ratione referrentur ad *Gregorium*, atque in his T. I. *Pariſ.* 1705. f. in *Praef.* ad *Libros Moralium* recenſuerunt *Epitomatores* VII. Verum Fortuna Libraria Noſtrum illis invidit, eapropter curatius hic tanquam ἀνεκδοτον, imo ignotum deſcribendum. Primo dabo Prooemium. *Proemium uerborum ſequentium.*

Mell) *fluenti*) *uerba ſequenti*) *ſuſcipe lect*)
e a a or.
Reic) *lubric*) *querito celic*) *ſplendifica c*)